



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Bona Cella, Germanicè Gutezell/ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

4. Domina *Anna ab Eugentorp*, dicta Meereligina Julia-
censis, facundissima domina, eligitur anno Domini 1536. in die
S. Martini. Præsidet adhuc currente hoc Jubilæo viginti qua-
tuor fororibus laudabiliter. Sub ejus gubernatione sepultus est
in ejusdem templi choro magnificus ac Clarissimus Dominus,
Doctor Nicolaus à Nave, Imperatorius Consiliarius, cum con-
juge Guta, filia Francisca & filio Joanne, legum eximio etiam
doctore Imperiali; Consiliario.

Doctor
Nicolaus
à Nave.

BONA CELLA, Germanicè *Gutezell* / sive, ut ex vetustis
quibusdam diplomatibus collegi, Dei Cella, Germanicè
Gotteszell, monialium olim ducentarum, nunc duodecim saltem
præclarum cœnobium in Suevia, non procul ab Ochsenhusio,
quatuor miliaribus ab Ulma, Sueviæ metropoli, ordinis Cister-
tensis, sub cura & visitatione Abbatis Salemitani: fundatum
est in honorem sanctorum Cosmæ ac Damiani, primum à dua-
bus fororibus Comitissis à Schlosberg, venerabilibus ac religio-
sis Dominabus, quarum nomina interciderunt, fortassis in in-
cendiis, sicuti etiam ipse annus primæ foundationis. Donarunt
vero & locupletarunt hoc cœnobium postea nobilissimi Comites
arcis Aychaim, ad iterum annem sitæ, quorum utriusq; sexus
nomina hic subjungere in perpetuam rerum memoriam volui.
Sunt autem, *Bertholdus* Comes, qui obiit anno 1330. & hujus fi-
lius, *Udalricus*. Item *Eberhardus*, *Hugo*, *Gulielmus*, *Ruffus*, *Fri-
dericus*, *Conradus*, *Ruffus* secundus, *Marquardus*: Domina *Ku-
nigundis*, Domina *Juta*, Domina *Adelheidis*, Domina *Bertha*,
Domina *Betha*; omnes Comites, & Comitissæ de Aychaim in
eodem cœnobio sepulti. Item Domina *Anna*, Comitissæ de
Kirchberg, nata de Aychaim, quæ obiit anno Domini 1369.
Domina *Anna de Alto Rechbergo*, Ducissæ Decensis, & Domina
Bertha de Griffingen, magna benefactrix Bonæ Cellæ, quæ obiit
anno 1444. Habent verò & alii nobiles plurimi sua in eo cœno-
bio sepulchra, nobiles videlicet à Giesenberg, Rechbergeri ab
Alto Rechbergo, & nobiles de Baustetten, fundatores Hecken-
bacenses, *Fridericus* item à Schwenda, qui obiit anno 1375. Ab-
batissæ

Schloß-
burg.

Comites
de Ay-
chaim.

batiffæ ejus loci fuere à prima fundatione ad hæc usque tempora.

Abbatissarum series.

1. Domina *Mecbtildis*.
2. Domina *Ita*.
3. Domina *Hiltadis*.
4. Domina *Loicardis*.
5. Domina *Gertrudis*, quæ præfuit anno 1299.
6. Domina *Haylga*.
7. Domina *Guta*.
8. Domina *Elisabeta Freybin*.
9. Domina *Otilia Durlacherina*, quæ obiit anno Domini 1491.
10. Domina *Walburgis Gretenna*, quæ obit anno Domini 1504.
11. Domina *Walburgis Buglerina*, Ravenspurgi nata, quæ obiit anno 1516.
12. Domina *Catharina Bechtina*, Ulmenfis, quæ decem annis præfuit, & anno Domini 1526. exauthorata, Poundum in aliud Sueviæ vicinum monasterium profecta est.
13. Domina *Barbara à Stoczingen*, præfuit duobus annis, & obiit juvencula anno 1528.
14. Domina *Magdalena à Freyburg*, præfuit 14. annis. Valledixit hominum in terris viventium consuetudini anno Domini 1542.
15. Domina *Maria de Landenberg*, honestissima gubernatrix & vere uirtuosa herois, eligitur anno Christi 1542. Præest adhuc laudabiliter hoc currente anno 1551. Hæc ipsa vere laudandis virtutibus ac moribus prædita Domina, inter cum hæc, tum alia multa, breves etiam literas Imperatoris Rudolphi Habspurgii, brevissimæ membranæ inscriptas, legendas mihi exhibuit, quas hoc loco cum in sacratissimi Imperatoris nostri D. Caroli V. tum hujus cœnobii honorem subjungere placuit: id Lector grato ac benevolo animo ut excipias, oro.

Rudolphus, Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, universis Imperii Romani fidelibus, præsentis literas inspecturis,

H 3

Rudolphi Imperatoris litera.

Bruselij

Chronologia
Monasterio
vna Germana
S. III

ris, gratiam suam & omne bonum. Ob sacræ religionis reverentiam, quam tenemur speciali gratia prævenire, tam futuris, quam præsentibus volumus esse notum, quod quicquid vel quantumcunq; religiosis personis, Abbatissæ & conventui & cleris in monasterio Godenzelle Cisterciensis ordinis, de feudis, quæ tenentur ab Imperio, vel aliis proprietatibus quibuscunque usque ad centum marcarum valorem per quoscunque donatum vel legatum fuerit, de nostræ procedat beneplacito voluntatis, præsentium testimonio literarum. Datum Ulmæ VII. idus Januarii, Indiæ. XI. anno Domini 1283. regni nostri anno decimo.

BUCHAUGIA vel Buchovia, **Bucav** / Canonissarum seu monialium nobilium ac antiquo stemmate majorumque imaginibus conspicuarum, ab omni tamem ordine, professione ac voto imminutum ac prorsus liberarum, collegium potius, quam cœnobium in Suevia, ad ejusdem nominis amœnissimum lacum, quem vulgo liberum lacum, vel plumarum lacum **Seedersee** vocant, non procul à Biberaco, urbe Imperiali, in Suevis situm: in quod astumi solent tantum Comitissæ & Baronissæ, quæ ibi sub Abbatissâ pudice & probe educari, ad pietatem & virtutem informari, postea nobiles & ambitæ aut expectitæ egredi iterum & honeste nubere solent, quod omnibus concessum & liberum, soli Abbatissæ propter acceptam Pontificiam benedictionem, ut vocant, integrum non est. Iccirco non moniales, sed expectatrices potius, & domus ipsa non monasterium, sed honestissimæ disciplinæ magis domicilium ac sacrarium (ut erant omnia olim cœnobîa) nominari debebat. Id inquam amplissimum ac pulcherrimum collegium fundatum legitur in honorem sanctorum Cornelii & Cypriani à Domina Adeline, Hildebrandi, potentissimi Suevorum ducis filia, Hildegradis Reginæ & Campidonensis fundatricis sorore, Comitissæ verò Ottonis à Kesselburg in Blanchina valle circa Biberacum habitantis relicta vidua, quæ ibi sepulta est.

Monialibus Buchaviensibus nubere concessum.

D. Adeline, Hildegradis Reginæ Soror.

Tota foundationis historia sic se habet. Imperabat Suevis ante annos octingentos, Pipini Galliarum regis temporibus, po-